



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

26. Novembris. Providentia amantissimi Patris nostri, & sapientissimi medici, quos maximè amat, & quàm citissimè post hanc vitam deducere vult ad æternam felicitatem, eos tantò magis purgat in hoc ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

inviti, accipiamus : ità nunquam sinè utilitate cum viris agimus spiritualibus.

Sigillum nempe viri spiritu pleni sunt, quam ipsi virtutis imaginem cordi altissimè incisam circumferunt, eandem in illis, tanquam in cera, exprimunt, cum quibus agunt.

Boni solis malis exosi sunt ; ùt noctuæ oderunt lucem, ità Religiosorum virorum osiores non sunt boni Christiani, digni, ut quos in vita contempserunt, eorum etiam, in agone, auxilio destituantur. In quo quis peccat, punitur.

Perversæ ingenium naturæ est, ab iis abhorrere plurimùm, quæ plurimùm prodesse. Ager maximè horret medicinas, quæ maximè prodesse. Multi brevè meliores essent, si cum melioribus agerent.

26. Novembris.

Providentia amantissimi Patris nostri, & sapientissimi medici, quos maximè amat, & quàm citissimè post hanc vitam deducere vult ad æternam felicitatem, eos tantò magis purgat in hoc seculo. S. Ign. inep. 20. Jan. 1552.

A Mare non est idem, ac blandiri. Impe-

peritum vulgus in eo amorem situm credit, ut amati voluntas adimpleatur; hoc est occidere : aliter amat, qui verè amat; bonum nempe vult amato, non periturum, aut defectibile, sed æternum.

Ut amat agrum medicus, dum eum urit, & secat, quia nempe vulnera hæc novit illi profutura: sic Deus amat suos, & licèt nunc doloribus dolores accumulæ, prodest tamen iis maximè, quia æternum.

Tantò amor major, & sincerior est, quantò majus bonum est, quod amato desideratur, licèt viâ difficili obtinendum. Non datur nempe corona sinè certamine, nec merces sinè labore. Ducit Deus per spinas; sed ad rosas.

Amor mundi, præterquam quòd turpis sit, etiam noxius est, quem amat, occidit. Sic suos simia catulos amplexu necat. Oderit utinam plùs, quàm amet! Dei amor fortis, & utilis, eos magis amat, quos magis mundus odit.

27. Novembris.

Hoc familiare nobis deberet esse, ut Deum in omnibus rebus præsentem cerneremus